1356. d. 1. Maii

Ex Cod: MS. vet: Arch: St: Aug: Regni.

629.

142

# Renunciatio terrae Suidnicensis iurium.

Casimirus Dei gratia Rex Poloniae etc: notum facimus universis, quod nos ob amoris synceri puritatem, quo serenissimum ac invictissimum principem dominum, dominum Carolum Romanorum imperatorem semper augustum et Bohemiae regem fratrem nostrum charissimum specialis dilectionis favore prosequimur, ipsi tanquam regi Bohemiae, haeredibus ac successoribus suis regibus Bohemiae, et eiusdem regni coronae in perpetuum, ducatus Suidnicensem, Taurensem, cum omnibus ipsorum appendiis, dominiis et pertinentiis, nec non omnia iura, quae nobis, regno et coronae Poloniae in dictis ducatibus, quavis ratione competunt, seu valebunt competere, ritè dedimus, ac praesentibus spontè ac liberaliter erogamus, renuntiantes expressè, pro nobis, haeredibus ac successoribus nostris regibus Poloniae, omni iuri, impetitioni, iuris sanctioni, et omnibus simpliciter respectibus, nobis, regno, et coronae Poloniae competituris et competentibus in eisdem, promittimus etiam bona et syncera fide supradicto Romanorum imperatori et Bohemiae regi, tanquam regi Bohemiae fratri nostro charissimo, haeredibus et successoribus suis Bohemiae regibus, dum et quoties requisiti seu moniti fuerimus, adversus quoslibet invasores seu aemulos eorundem, qui eos in praedictorum ducatuum, appendiorum, dominiorum, iurium, pertinentiarum, possessionem impedire, seu molestare contenderent; opportunum impendere auxilium et iuvamen, praesentium, sub nostrae maiestatis sigillo, testimonio literarum. Actum et datum Pragae anno domini 1356. die 1. Maii

Jabłoński